

in hac arte magno uolumine contractauit: Quid de C. Basso duce nobilissimo: & scientia præstantissimo: nisi laudes dicere possimus: & tamen plures libros de origine uocabulorum: teste Gellio & aliis nonnullius multa cum gloria scripsit: Nonne etiam Plinius sua ætate doctissimus in naturali historia de grammatica libros scripsisse gloriatur: Cuius dicta Priscianus nonnunquam inducit: & nos illorum fragmenta quædam preciosissima conperimus. Quod si tot tantique auctores de hac materia scripserunt in qua tu illis dumtaxat cognitione es comparandus: non dedignaberis meum tibi de grammatica opus scribi: nec poterunt ulli tuam excellentiam uerbis maliuolis lædere: si grammaticæ libros colueris & de illis æstimationem non paruam feceris: atque in tua bibliotheca locandos illos curaueris. Nam Grammatica ipsa Quintiliano teste necessaria est pueris: iucunda senibus: dulcis secretorum comes & quæ uel sola plus habet operis quam ostentationis: itaque primum de litterarum inuentione: numeroque & figura: ac nomine pertractabimus. Deinde cuiusque nostræ litteræ per ordinem potestatem & in alias litteras tam in dictionibus græcis ad nos pertinentibus: quàm latinis commutationes explicabimus. Post hæc uero de ordinatione litterarum inuicem tam uocalium: quàm consonantium: & tam in eadē syllaba quàm diuersa: dicemus. Ultimo particularium dictionum orthographiam suis litteris ordinabimus: & quæ breuissime dabitur eanarrabuntur: quæ ad earundem declarationem facere putabimus Accipimusque hæc primum ex fragmentis decem librorum Papyriani: quos de orthographia scripsit: Ex quattuor libris Plinii de arte grammatica. Ex unico libro Rhemii grammatici de potestate litterarum: Ex unico Grylli de accentibus ad Virgilium: cuius parua fragmenta conperimus. Ex Capro: ex Diomedede de octo partibus orationis. Ex Probo doctissimo grammatico. Ex Quintiliano uiro summo. Ex Varro de lingua latina. Ex Aulo Gellio: Ex Donato: Seruio: Prisciano: Victorino: Sergio: ex pluribus alijs latinis grammaticis: græcisque minoris auctoritatis cum antiquorum grammaticorum libros amiserint. Repperi tamen Herodiani fragmenta quædam de orthographia: & eiusdem libros integros quattuor de constructione. Ex glosulis etiam Aristarchi super Homerum & Hesiodum. Quin & ex Porphyrio super Homerum plura annotauimus. Quæ uero ad historiam faciunt: ex Virgilio: Ouidio: Homero: Hesiodo: Liuiio: Plinio: Iustino: Herodoto: Thucydide Appiano: Diodoro siculo: multisque alijs approbatis auctoribus & græcis & latinis: quos suis locis commode inducemus.

I IOHANNIS TORTELLII ARRETINI COMMENTARIORVM GRAMMATICORVM DE ORTHOGRAPHIA DITIONVM E GRAECIS TRACTARVM LIBER PRIMVS INCIPIT:

De numero & figura atque inuentione litterarum tam græcarum quàm latinarum:

Græcorum litteras: quibus ipsi nunc græci utuntur: xxiiii. esse constat: uidelicet. α. β. γ. Δ. ε. ζ. η. θ. ι. κ. λ. μ. ν. ξ. ο. π. ρ. σ. τ. υ. φ. χ. ψ. ω. Sed hæc uetustiores græci. ut ex clarissimis grammaticis accepimus: solas sexdecim habuerunt: quas ex phœnicia Cadmum adduxisse: uidelicet. α. β. γ. Δ. ε. ζ. η. θ. ι. κ. λ. μ. ν. ο. π. ρ. σ. τ. υ. Quibus ad nostras sic primum a Nicostrata matre Euandri ut ferunt redactis & nos sexdecim eodem modo & eadem pene figura recepisse: cum Priscianus tum antiquiores alii celebresque grammatici attestantur. Imo easdem illas pene cum græcis fuisse rettulit Plinius circa finem libri. vii. naturalis historiae ex testimonio delphicæ tabulæ antiqui æris: quæ in palatio dicata erat Mineruæ: quas huiusmodi fuisse Rhemius grammaticus præstantissimus nobis rettulit: uidelicet. a. b. c. d. e. f. g. l. m. n. o. p. r. s. t. u. Sed cum paulatim a græcis litteræ aliæ ad inuentam fuerunt: & xxiiii. litterarum numerum adimpleuerint: nos similiter ab illis aliquas accepimus. Quibus & in nostro sermone & in dictionum græcarum scriptura frequentissime utimur. Nam uocales primum uetustissimi græci quinque ut nostri habuerunt: uidelicet. α. ε. ι. ο. υ. quas ancipites omnes uel liquidas hoc est quæ facile modo produci modo corripri possunt: uti nos uocales nostras dicimus: & illi similiter tunc quoque dixerunt: Sed postea cum duas alias adinuerunt uidelicet. η. ω. has fecerunt semper longas & ex prioribus duas sepe breues esse statuerunt: uidelicet. ε. & ο. quin & hoc quoque paruū. ο. quod uero nouiter inuentum fuerat magnum uocauere. Sic enim nomina litteris pro placito imponuntur. At nos latini ex his nouiter a græcis inuentis nullam penitus suscepimus: sed nostras omnes: uidelicet. a. e. i. o. u. suo numero & nomine conseruauimus: quas sane omnes ancipites & liquidas & antiquo more semper habuimus. Post id autem uidentes græcorum doctissimi per ablationem aspirationis a consonantibus quibusdam nonnunquam sententiã de fraudari: nouas adinuenere figuras: quibus necessario comprehendi detinerique debeat: & sic. θ. litteram in se dulci sono aspirationem gerentem concaperunt uam pro. th. quæ pulcherrime ponunt: nec non & φ. quam similiter pro. ph. & χ. quam pro. ch. iidem a Troiano bello citra scribere consueuerunt: nanque illas Palamedem comperisse Seruius attestatur. Iox alios ac præcipuum Simonidem teste Cornelio Tacito cæteras comperisse. Verum ex his tribus sic compertis latini nostri nullam penitus suscipere: sed seruata antiqua scriptura ipsum. t. uel. c. uel. cū aspirationis nota more antiquo scribere uoluerunt. Sed quærit Parthenius grammaticus: idem uel post illum Priscianus: quare non ideo a græcis. rh. aspiratum in aliam formam figuramque translatum fuit: cum eodem modo aspirationem suscipiat. Ad quod respondentes dicunt: quia nec sic aspiratio p. si. r. coheret sicut & præfatis mutis: nec si ab hac littera tollatur significationem minuit: nã quauis